



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 55. Rex Ludovicus ab Alienora separatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII.  
A.C. 1152.

lacrymas rogavit errores omnes, quibus eos offendisset, cui & ipsi lacrymas non tenentes facile annuerunt. Obiit deinde decima tertia Januarii, anno salutis humanæ millesimo centesimo quinquagesimo secundo, ætatis suæ septuagesimo, Abbatialis Regiminis vigesimo nono. Defuncti exequias Episcopi sex, complures Abbates, & Ludovicus Rex junior, flets amare, condecorarunt.

§. LV.

*Rex Ludovicus ab Alienora separatur.*

Eodem anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo, decima octava Martii, Feria tertia ante Festum Paschæ *floridi*, id est Dominicæ Palmarum, quæ jam tunc ita dicebatur, Balgentiaci celebratum est Concilium, cui interfuere Archiepiscopi quatuor, Hugo Senonensis, Hugo Rotomagensis, Samson Remensis, & Lanfredus Burdegalensis, cum multis Episcopis & Abbatibus. Archiepiscopus Senonensis Ludovicum Regem & Reginam Alienoram convocaverat, ut de valore matrimonii inter ipsos sententia proferretur; quippe affirmabant aliqui, affinitatem adeo propinquam intercedere, ut matrimonium valere nequiret. Ergo in Concilio steterunt testes,



stes, qui, præstito juramento, coram Episcopis edixerunt, quod Rex & Regina se cognatione contingerent. Cumque omnibus videretur, firmum satis esse argumentum, consensu utriusque partis dissolutum est matrimonium. Annos quatuordecim Ludovicus & Alienora in conjugio transegerant, ex quo duæ filiæ natæ erant; sed cum illa in profectioe Hierosolymitana Regem multoties offendisset, intolerabilis mulier marito effecta est. Ipsa in Ducatum suum Aquitaniæ reversa Henrico Duci Normanniæ, Comiti Andegavensi, qui postmodum in Anglia Regnum obtinuit, secundis nuptiis juncta est, Rex vero Ludovicus Constantiam, Alphonfi VIII. Regis Castiliæ filiam, duxit.

Sæcul. XII.  
A. C. 1152.

*Guil. Tyr.*  
*Lib. XVII.*  
c. 8.

*Rob. de M.*  
*an. 1151.*

## §. LVI.

*Conradus moritur. Fridericus I.*

In Germania Conradus III. Rex, cum Bambergam venisset, Comitibus celebraturus, rebus humanis ereptus est, Feria sexta post cineres, decima quinta Februarii, postquam regnasset annos tredecim, nunquam Imperator coronatus. In eadem autem civitate prope tumulum S. Henrici sepultus est (\*). Porro S. Henricum

*Otto I. Fris.*  
c. 63.

N 4 ricum

(\*) Id narrans Palatinus addit: *Veneri vis manifestior fuit, quam ut falleret, & cum innocentia,*